



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

Eck, Johannes

Antverpiae, 1541

4 De scripturis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35599

DE PRI. SED. APO. ET PE.

Evanescent itaq; omnia heretica, vt
bulla aquæ.

¶ Conclusio.

In epist. Suscipiamus omnes auctoritatem
ecclesiæ in apostolica sede Romana
relucentem, quum eam in rebus ar-
duis fidei consuluerit Hieronymus
ex Asia ad Damasum, Augustinus
ex Aphrica ad Innocentium, & Bo-
nifaciũ, ac Cyprianus ad Corneliũ,
Athanasius ex Aegypto ad Marcum
& Iuliam, Ambrosius ex Italia, &c.

Iam defendentes se contra reba-
ptizatores recedunt ab eorum basi,
vnde multa fatentur non scripta &
tamen tenenda Zuinglius adducit
de baptismo Mariæ. De baptismo
parvulorum.

EX SCRIPTURIS TE-

mere repugnare hæreticos. III

¶ Præter superius dicta de Ecclesia
& concilijs hæc sub-
ñciamus.

Quia

Quia hæretici nihil volunt recipere nisi probetur expresse per scripturas. Itaque Lutherani non recipient perpetuam virginitatem Marię, sicut Heluidius contra quem scripsit beatus Hieron., quia in scripturis nõ pbatur, sed plures scripturę apparēter sunt p Helu.

Articulus in symbolo fidei, descēdit ad inferna, non expresse probatur ex scripturis, quare Luther non credit illum articulum, nam si quis obiecerit illud Ecclesiastici vigesimoquarto: penetrabo omnes inferiores partes terrę, dicet proteruus, penetrabit virtute non loco. Id erit eī cum multis catholicis commune. Si Paulum quis attulerit ad Ephesios quarto, quod autē ascēdit, quid est nisi quia & descēdit primū in inferiores partes terrę. Mox dicet apostolū loqui, filium dei descēdisse in vterū virginis, qui ascēdit ad alta cœlorū. Partes autem terrę sunt inferiores

F a celo

DE SCRIPTVRIS.

ecelo & elementis, Similiter symbo-
lum apostolorū, Athanasii homoufi-
on personā in diuinis, Annam ma-
trem Mariæ, diem dominicam Lu-
therani non obseruabunt. Iudicio
Lutheranorum, Christus non bene
probasset contra Saducæos resurre-
ctionem corporum, nō enim eis ad-
duxit clarum textū, sed quia dictū
est, Deus Abrahā, Deus Isaac, Deus
Iacob, non est autem deus mortuo-
rum sed viuentium, & tamen tunc
solum viuebant secundum animas
non secundum corpora.

Non sunt igitur solum credenda
& seruanda (id quod volunt Lnthe-
rani) quæ expresse habentur in diui-
nis literis, aut probātur ex ipsis, ve-
rum etiam ea oportet credere & ser-
uare, quæ sancta mater ecclesia cre-
dit & obseruat. Nō enim omnia tra-
dita sunt manifeste in sacris scriptu-
ris, sed quam plurima ecclesie (quæ a
spiritu sancto illustratur & guberna-
tur,

tur, & ob id à veritatis tramite errare nequit) determināda relicta sunt. Vnde saluator ad discipulos suos Ioannis decimoquinto dixit. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quū autem venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatē. Multa igitur suis ritibus & cæremonijs obseruat ecclesia, ex familiari instinctu spiritus sancti, & traditione Apostolorum & sanctorum patrum, quæ & si expresse in sacris literis non habeantur, ipsis tamen nequaquam obuiant, aut ab ipsis discrepant. Imò maxime ipsis sunt conformia, & ob id ab omnibus veris Euāgelicis & Paulinis (quales se mendaciter gloriantur Lutherani) Christianis amplexanda & obseruanda. Itaque fratres, 2. Thes. 2. state, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

Cæterum quum venero disponā. 1. Cor. 11

F 3 Hic

DE SCRIPTURIS.

Hic de Eucharistię sacram. loquens, innotescit se nō omnia scripsisse, sed quum ad ipsos venerit reliqua non scripta dispositurum.

**2. Ion. cap.
vnico**

Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentū, spero enim me futurum apud vos & os ad os loqui, vt gaudium vestrum plenum sit.

Ibidem, 37

Multa habeo tibi scribere, sed nolui per atramentum & calamū scribere tibi, Spero autē protinus te videre & os ad os loquemur.

**Inno. 3. de
coele. missa
rum capit.
Cū Marię
Act. 20.
2. Cor. 15**

Sane multa tam de verbis q̄ factis dominicis inuenimus ab Euangelistis omissa, quæ Apostoli vel suppluisse verbo, vel facto expressisse leguntur. Paulus enim in Actibus Apostolorū sic ait: Meminisse nos oportet verbi domini Iesu qui dixit: Beatius est dare, quā accipere. Hęc nullus quatuor Euangelistarum descripsit. Nullus etiā expressit, quod Paulus de apparitione plus quā quingentis

gentis fratribus simul facta.
 In Ecclesiasticis obseruationibus Origen.
 sunt nonnulla huiusmodi quæ om- Homil. 5. su-
 nibus quidem facere necesse est, nec per nume-
 tamen ratio eorum omnibus patet. ros.
 Nam ꝑ (verbi gratia) genu flectimus
 orantes, & ꝑ ex omnibus cœli pla-
 gis ad solam orientis partē conuersi
 orationem fundimus, nō facile cui-
 quam puto ratione compertum &c.
 Huius tamen rationem tradit Da- Damas. li.
 mas, ita inquires: Quia deus est lux 4. de ortho-
 intelligibilis, & sol iustitiæ & oriens
 in scripturis nominatur Christus, de
 dicandus illi oriens est ad adoratio-
 nem. Nā omne præstantius magisq;
 bonum illi offerendum, à quo omne
 bonum benigne largitur.

Lutherani contendunt scripturas
 sacras esse claras, ideo laici & delyre 2. axioma
 anus eas tractant imperiose.

Contradicit Petrus, loquens de 1. Pet. 39
 Epistola Pauli. In quibus sunt quæ-
 dam intellectu difficilia, quæ indocti

DE SCRIPTVRIS.

& instabiles deprauant, sicut ceteras
Scripturas, ad suam ipsorū perditio-
nem. Ecce difficultatem illarum, &
quomodo viuentē Paulo fuerunt
deprauatæ, sicut hodie faciunt Lu-
therani.

Hieronymus ad Algassam: Omnis
Epistola Pauli ad Romanos nimis
obscuritatibus inuoluta est.

2. Cor. 4

Quod si etiam opertum est Euan-
gelium nostrum, in his qui pereunt
est opertū. Si sacra scriptura est aper-
tissimū, mirū cur sancti patres, qui tam
frequenter legerunt, non intellexe-
runt à M. cc. annis. qđ si Aug. Hiero.
Bern. Thomæ fuit obscura, quomo-
do laicis Lutheranis erit aperta.
Luc. 10. protulit duos denarios & de-
dit stabulario & ait. Quodcunque
supererogaueris, ego quum rediero,
reddam tibi. Duo denarij, sunt duo
testamenta: tum qđ apostoli & docto-
res supererogant, deus retribuit.

3. axioma

Male hæretici nolunt alium iudi-
cem

cem quam scripturam.

In veteri testamento lex non fuit Deut. 17
Iudex, sed summus sacerdos. Si diffi-
cile & ambiguum & cætera: vide su-
pra titulo. Quum fuerit cõtrouer- Ezech. 44
sia, stabũt sacerdotes in iudicijs meis
& iudicabunt.

Et Catholici quoq; admittũt scri-
pturam maxime, sed intellectu ab
hæreticis differimus, ideo oportet
alium esse iudicem quam scripturã,
scilicet ecclesiam.

Monstratur hoc ad oculum, exem-
plo à modernis hæreticis (qui alium
quam scripturam iudicem nolunt)
sumpto, pugnant inter se Lutherani
& Oecolampadiani & Zuingliani
de Eucharistiæ sacramento, an vere
& spiritualiter sit hic corpus & san-
guis Christi, aut solum figura &
signum. Quis inter hos iudex erit?
Quis hos vnquam cõcordabit? scri-
ptura ne, an ecclesia? Alius profecto
præter has iudex dari nequit. Non

F s qui-

DE SCRIPTVRIS.

quidem scriptura, quam vtrique iudicem esse contendunt, fundant se, quippe in eisdem scripturae verbis, & ita ipsi non scripturam iudicem admittunt contra suam ipsorum doctrinam, sed sese supra scripturam iudices faciunt, Ecclesia proinde necesse iudex erit, quae credit, virtute verborum Christi transsubstantiatis panis & vini in hoc sacramento esse verum corpus Christi & sanguinem, sub speciebus panis & vini.

Mat. 4

Etiam diabolus allegavit scripturam contra Christum. Angelis suis mandavit de te, vt custo. &c. sed verum intellectum non tenuit, vt inducit Hiero. contra Luciferanos, atque scripturae non in legendo, vt imperitum vulgus iam Lutheranae haereseos sentit, sed in intelligendo consistant, Hieron. ibidem. Ideo Tertullianus potenter ostendit lib. de praescriptionibus hereticorum, eos nequaquam admittendos ad ineundam de scripturis pro-

ris prouocationem. Omnes hæretici confugerunt ad scripturas male ab eis intellectas.

Augustinus, Arrius adduxit pro se. 42. locos scripturæ.

Lutherani recipiunt scripturas sicut Iudæi vetus testamentum, quia insistant solum sensui literalis, & quæ sunt eis contraria ipsi torquent, unde sunt Theologi atramentales, secundum corticem & superficiem.

Ideo Iudaicum est scripturis impugnare ecclesiam. Luther in assertionibus dicit. Superbis & impijs scripturam semper esse maioris cæcitatibus occasionem: hoc dictum redundat in caput authoris & suorum sequacium.

DE FIDE ET
operibus. V.

Fidē nō sufficere sine operib⁹, & opa aliqd esse. i. meritoria vitæ æternæ, ex gratia dei acceptate. **Propositiō I.**
Ait dominus ad Abraham: Ego Gen. 17.
ero.